

Christoph Redecker

**Pro-Rector, Academiae Rostochiensis Christophorus Redeker, I.U.D. ... Ad
Solennes Exequias ... Barbarae Elisabethae Kochen. Abs Tristissimo Viduo Viro
... Dn. Johanne Gerdesio, Medicinae Doctore & Prof. Publ. ... paratas, Omnium
Ordinum ... Cives Academicos ... invitat : [P.P. Sub Sigillo Academ. Rost. d. XX.
Iunii, A. 1688.]**

Rostochii: Wepplingius, [1688]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn771554168>

Druck Freier  Zugang



Redeker, C.,

in B. E. Koch.

R. 1688.



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn771554168/phys_0002](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn771554168/phys_0002)

DFG



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn771554168/phys_0004](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn771554168/phys_0004)

DFG

C. D.
PRO-RECTOR,
ACADEMIÆ ROSTHOCHIENSIS
CHRISTOPHORUS
REDEKER,



P. CONSISTORII DUCALIS
TOR, & FACULTATIS JURIDICÆ
p.t. DECANUS.

Ad
SOLENNES EXEQUIAS

omnig. virtutum nitore fulgiaissime feminine

**BARBARÆ ELI-
SABETHÆ KOCHEN.**

Abs TRISTISSIMO VIDUO

Viro Experientissimo, Nobilissimo, Excellentissimo,

**DN. JOHANNE
GERDESIO,**

Medicinæ Doctore & Prof. Publ. Celeberrimo
Eautorē, Collega & Amico N. honoratissimo, decentissimè paratas,
Omnium Ordinum ac dignitatum CIVES Academicos, quā fas est
humanitate, invitat.

Rostochii, Typis JOH. WEPPLINGII, Univers. Typogr.



Væ non ita pridem de periculo-
fissimô parturientium bellô, in
qvô mulieres non solûm cum
exqvisitissimis difficultatibus &
acerbissimis doloribus; sed &
cum morte ipsâ configere, non-
nunquam succumbere, cogun-
tur, programmate indicavi;
Eadem & hodie, præter mea
vota, repeto. Abs KLEINI-
ANA, ex partu mortis occasio-
nem nactâ ad GERDESIAM, in partu quoq; præmatu-
rè extinctam, procedendum est. Novi, quæ pectus
meum urgeat mœstitia, ubi calamo post KLEINIA-
NUM nomen exprimere GERDESIANUM, simulq;ve
exeqviæ, abs TRISTISSIMO VIDUO CONJUGI
DILECTISSIMÆ paratas, intimare cogor; Si De-
functæ virtutes, Mariti ardentissimæ preces, liberorum
suspiria, Agnatorum, Amicorumq; flagrantissima vo-
ta, Puerperam N. morti eripere potuissent, adhuc vive-
ret; Verùm Omnipotenti placuit DEO, ut nobis in
ipso ætatis flore exemplum mortalitatis esset, meditatio-
nemque mortis, quâ nulla generi humano conducibili-
lor, inculcaret. Ab hâc enim meditatione omnis de-
pendet mortalium felicitas, Hæc non tam de præsen-
ti, qvam futuro, non tam de temporali, qvam æternô
follicita est. Sapiens igitur meritò dicendus, qui de mor-
te suâ, per quam! ceu per januam, vel ad æternam
vitam mortemve itur, cogitat. Non temerè hinc Pla-
to omnem Sapientum vitam meditationem mortis
dicebat. Sit eò magis Christianorum vita perpetua
mortis

mortis cogitatio, quæ peccare non permittit, satis ele-
ganter scribit Thomas de Kempis c. 23. lib. 1. de Imit. Cbrist.
Si in omni facto & cogitatu nos ita haberemus, ac si hodie esse-
mus morituri, non peccaremus, & Augustinus lib. exhort. ni-
bil sic revocat à peccato, qvam freqvens mortis meditatio
Moriendum omnibus juxta Poëtam:

Omnes hoc tendimus, metam properamus ad unam,

Omnes sub leges Mors vocat atra suas.

Non Alexandrum victoriæ, non Aristidem iustitia, Ci-
monem Liberalitas, Absolonem formositas, Crassum
divitiæ, immortales reddere potuerunt, terrea fuere
vascula, non minus fragilia, qvam reliqua: Curandum
igitur, ut bene moriamur; Non potest autem bene
mori, qvi non bene vivit, non bene vivit, qvi mortis est
immemor; Hæc meditatio mortis horrorem, judicii tre-
mendi discriminem, ardentis gehennæ metū ab oculis cor-
dis elongari nullatenus patitur: qvis igitur malè vive-
ret, ac hisce periculis, discriminibusq; se submitteret im-
prudenter? Nil prodest diu vivere, prodest autem qvot-
die discere mori. Certè, siqvis Methusalem longissimè
viventis annos superaret, se miseriorem potius, qvam fe-
liociorem prædicare posset, cum, qvi diutius vivit, plura
pericula experitur, qvam qvi citò moritur. Nostra vita
mare tempestuosum est, quô qvis diutius navigat, eò
diutius ventorum, fluctuum, tempestatumq; vim susti-
nere cogitur. Mors portus est, extra quem nemo se de
vera tranquillitate & securitate gratulari potest. Hinc
Solon Græcorum sapientissimus neminem ante mortem
beatum existimabat; Pauperem Irum mortuum præpo-
nebat ditissimo viventi Cræso. O qvam pulchrè! Sar-
cinam paupertatis, miseriarum & periculorum deposu-
erat

) (2

erat jam Irus, qvâ adhuc premebat Cræsus. Si in
long ævâ vitâ humana confisteret felicitas, homo viven-
di diuturnitate etiam cervos excederet, indignum e-
nim foret ullum animal felicius esse, qvam hominem, in
cujus obsequium illa omnia sunt condita. Quid cogi-
temus igitur de longævâ vitâ? semper de morte cogite-
mus. Incerta certissimæ mortis hora est. Qvum ma-
ne fuerit, putemus nos ad vesperam non perventuros,
occidente sole, orientem iterum nobis promittere non
possimus. O qvam multi exuerunt subito mortalitatem,
qui de longiori vitâ spem certam conceperant? O qvam
insperatò hic ab altô ruens fregit cervicem, ille mandu-
cando obriguit, ille ludendo, alius igne, ferrô alius, alius
peste vitam finiit! Nescimus, qvâ horâ veniet mors,
semper igitur vigilemus, ut, qvod nescimus qvando
veniet, paratos nos inveniat, qvum venerit, & ad hoc
forte nescimus, quando veniet, ut semper parati simus.
Parata sic qvoqve fuit, & de morte satis suspecta **B E A T A**
N O S T R A. semper meditabatur mortem, hinc benè vixit,
nec male mori potuit. Exuit mortale, & immortale in-
duit; emigravit ex hâc fragilitate & sè per mortem ad
æterna recepit gaudia; qvâm benè vero vixerit & qvâm
bene mortua sit, anteqvam enarremus, paucula de Ma-
joribus Beatæ nostræ, hîc inseramus. Cœpisse Beatissi-
mam Nostram aurâ vitali frui Anno O. R. 1664. d.
Decembr. Sedini, quæ urbs totius Pomeraniæ cla-
rissima, Ducum qvondam Pomeraniæ sedes illustrissi-
ma & nuperâ obsidione clarissima, accepimus. Pa-
trem habuit Virum Nobilissimum atq; Consultum Do-
minus MARTINUM KOCHEN, primum Scabi-
natus illius loci Assessorum gravissimum, dein Senato-
rem

rem Primarium dignissimumque. Matrem vero CA-
THARINAM BECKERS, fœminam omni virtute
muliebri ditissimam, Laudavit Avum Paternum Domi-
num MARTINUM KOCHEN, Consulem Civitatis
Coslinensis ulterioris Pomeraniae celebratissimæ dignis-
simum. Aviam ejusdem Paternæ lineæ BARBA-
RAM SUEDERS fœminam virtute & celebritate Ma-
jorum, adhuc in posteris constanter durante inlytam.
Avum maternum salutavit Virum Spectatissimum Do-
minus HELMICH BECKER, Mercatorem Stral-
sundensem solertissimum laudatisimumqve, ex BE-
CKERIORUM, qvæ adhuc in urbe Embdem orienta-
lis Frisiæ floret, familiâ ortum. Aviam mater-
nam ELISABE THAM SIBRANDS, ex Præno-
bili SIBRANDIANORUM familiâ, qvam ut Deus ad
seram posteritatem felicem, florentemqve esse velit, a-
nimitus vovemus, ortam. Hoc Majorum laudatis-
simorum sangvine creta, non potuit non probitatis si-
mul & pietatis haufisse igniculos, qvos etiam crescen-
te ætate, optimè expressit. Sacratisimô baptisimi
fonte splendidissimè renata, & BARBARA ELISABE-
THA nominata à cunabulis & crepundiis, per moliores
ætatis puellaris annos sub Parentum optimorum ocu-
lo probè educata, usqve ad annum O. R. 1675. & qvidem
diem 15. Aprilis. Hoc anno, jussu divinô, Pater morta-
litati valedicens BEATISSIMAM NOSTRAM, acerbissi-
mè abitum, paternum lugentem reliquit. Gratulaba-
tur sibi PIE DEFUNCTA NOSTRA adhuc de Matre Sva-
visimâ, cuius sedula educatio videbatur amissam Pa-
tris institutionem aliquatenus compensare. Ait, nec
hæc diurna felicitas, cum omnia hoc in mundo fragi-
litati & summae inconstantiae obnoxia sint, fuit, Unius
enim

enim & dimidii lustri spatium vix præterierat, cum & A.
1681. die 29. Jan. Mater dulcisissima, terrena hæc relinqvens
coelestia peteret gaudia. Qvam acerbissime initio ma-
tris obitum tulit Beatisima N, qyantis mæroribus pe-
tus probum obsitū fuit, dijudicandum illis relinqvo, qui
in tenerrimâ ætate parentibus orbat, pupillorum inter
personas miserabiles merito enumeratorum numerum
auxerunt. Redeunte posthæc animo æquius fati severi-
tatem tulit, putavitq; recte atq; ordine, ut Romana *FORMU-*
LA UTAR, factū qnod à domino factū Hinc orphanorum
perpetuo tutori, ac fortissimo defensori, se unicè credidit
Deo, ejusq; verbum, certissimam regulam vitæ, elegit.
Hinc virtutum innatarū & excultarum vis, & inde conci-
tatus suavis bonæ famæ odor (nam in istis laboribz, sexui
huic convenientibus, nulli suæ ætatis virginī cedere vole-
bat) fragrantiam suam exserere cœpit, & ad Virum Excel-
lentissimum, Experientissimumq; Dominum JOHAN-
NEM GERDESIUM, Medicinæ Doctorem, & Profes-
sorem celeberrimum, Amicum nunc, & collegam no-
strum æstumatisimum, penetravit, eumq; accersivit, ut
tam selectæ & pudicæ virginis legitimos amplexus pe-
teret, eamque annuentibus Agnatis facile obtineret. De
conjugio consumendo facta stipulatio. Celebratæ sunt
nuptiæ cum alias, tum ob singularem utriusque partis
in vincula matrimonii concedentis animorum & in-
clinationis conformitatem atq; harmoniam felices An-
no 1682, die 9. Jan. & suscepimus adeò status conjugalis in
Domino benedictus, quo durante *DEFUNCTA* nunc eheu!
N. in Maritum defixos semper habebat oculos, ab ejus
nutu pendebat, in eoq; colendo verè Evadnem, Pan-
theam vel Armeniam adæqvabat. Soli Deo, Maritoq; soli
placere studebat. Erat mens una, una voluntas in duobus
corpo.

corporibus, idem volebant ambo, idem nolebant ambo,
qvid horum vinculo firmius? Per breve quidem fuit
hocce matrimonium; non tamen sterile, in sextum modo
annum deductum, tribus tamen liberis beatum. Pe-
perit enim BARBARA ELISABETHA nostra Sedini An-
no 1683. die 9. Jun. primogenitam filiolam CATHARI-
NAM DOROTHEAM & sic se favissimo Matris Ma-
ritum Patris titulo condecoravit. Non enim Matrimo-
nium contraxerant ad fovendam perpetuam virginita-
tem, uti Henricus II. cum Cunigunde Franconicæ stirpis
Palatina: ut Boleslaus Pudicus Rex, Poloniæ cum Cuni-
gunde Belæ Regis Ungariæ filiâ; sed liberorum procre-
andorum animo & voto, ut ex prole diuturnitatis sibi
memoriam in ævum relinquerent, haberentq; præsidium
in adversis, oblationem in secundis. Gaudebant Pa-
rentes, sibiq; de suo herede animitus gratulabantur; Ve-
rū, gaudium illud non diuturnum, præmaturā evan-
uit morte formosissimæ puellulæ, vix ætatis annum ex-
pleverat, cum demortuorum numerum implere cogere-
tur. Heu rerum humanarum maxima qvid estis?
Omnia estis fragilia. Verū maximè pii Parentes
immortalis Dei voluntati patienter subscribebant, ac be-
nictum illius celebrabant nomen, qui dedit & abstulit.
Nec obseqviosis Deus ingratus, seqventi enim Anno 1685.
d. 20. Nov. Viduus mæstissimus ex conjugе favissimâ
nunc eheu! desideratissimâ videbat Sedini adhuc pueru-
lum ALEXANDRUM JOHANNEM, generis sui
propagatorem, & hic Rostochii die 8vo currentis mensis
& anni CATHARINAM ELISABETHAM, qui per an-
norum teneritudinem non satis capaces sunt gravissimæ,
quam in amissione matris dilectissimæ passi sunt, jacturæ.
post

Postquam enim hanc filiā modo nominatam natu minima
m auxiliante & assistente divinō auxiliō peperat , pu-
tabat nostra BARBARA ELISABETHA, quæ diu mul-
tumqvē uteri difficultatibus , quasi oceanō , jactata,
tandem in portum se pervenisse, omnemq; periculi me-
tu m pariendo superasse; sed ecce! accessione gravissimo-
rum symptomatum inter gemitus & suspiria mariti in-
sperato extincta est; Qui casus quanto est inopinus magis
& innaturus tanto lugubris accidit **DOMINO MARITO**
VIDUO MOESTISSIMO, acerbè lugenti Conjugē, natalium
splendore insignem, moribus svavem, sedulam, intelle-
ctu prudentem &, ut verbulo virtutes omnes compre-
hendam, **CONJUGEM OPTIMAM**. Absit tamen vir **EXCEL-**
LENTISIME ut modū lugendi transeas. Præmisisti BAR-
BARAM ELISABETHAM Tuā, non eā amisisti. Mor-
tis nunquam fuit immemor, male itaque mori non po-
tuit, non mortua BARBARA ELISABETHA tua , sed
per mortem ad vitam transit̄ æternam. Cum autem
hodie exuviae piè **DEFUNCTÆ** terræ matri sint reddendæ,
omnes officiose Cives rogatos volumus, ut freq-
entes confluant, justa piis manibus debita lubente & con-
dolente animo exfolvant, mortalitatis memoriam
refracent, & sic bene vivere & bene mori à **BEATA**
NOSTRA discant, Valete!

P.P. Sub Sigillo Academ. Rost. d. XX. Junii, A. 1688.

*Conventus fiet in Templo MARIANO
ad horam primam.*



GUSTAV KOCH
Buchbinderei
ROSTOCK

rem Primarium dignissimumque. MAT-
THARINAM BECKERS, fœminam
muliebri ditissimam, Laudavit Avum Pa-
num MARTINUM KOCHEN, Conf-
Coslinensis ulterioris Pomeraniae celebra-
simum.. Aviam ejusdem Paternæ li-
RAM SUEDERS fœminam virtute & c-
jorum, adhuc in posteris constanter duri-
Avum maternum salutavit Virum Spec-
minum HELMICH BECKER, Mer-
fundensem solertia sum laudatisimum
CKERIORUM, qvæ adhuc in urbe Em-
lis Frisiæ floret, familiâ ortum..
nam ELISABETHAM SIBRAND
bili SIBRANDIANORUM familiâ, qv
seram posteritatem felicem, florentemq
nimitus vovemus, ortam.. Hoc Maj-
simorum sangvine creta, non potuit nor-
mul & pietatis haufisse igniculos, qvos e-
te ætate, optimè expressit. Sacratisi
fonte splendidissimè renata, & BARBARA
THA nominata à cunabulis & crepundiis
ætatis puellaris annos sub Parentum op-
lo probè educata, usqve ad annum O. R. I.
diem 15. Aprilis. Hoc anno, jussu divinæ
litati valedicens BEATISSIMAM NOSTR.
mè abitum, paternum lugentem reliquit
tur fibi PIE DEFUNCTA NOSTRA adhuc
visimâ, cuius sedula educatio videbatu-
ris institutionem aliquatenus compensar.
hæc diurna felicitas, cum omnia hoc in-
litati & summæ inconstantia obnoxia fin-

X 3

